

Lycurgum pariter, teste Plutarco, robustum quiddam percutiens juvenis huius nomen Alexander, oculum ei excussit, eumque reus juvenis in percussu Lycurgi manus, ut severum de eo supplicium sumeret, a populo consignatus fuisse, hic nequaquam indignatus, imo eum benigne receptum, per tempus aliquod in bonorum morum disciplina eruditum ac postmodum ad theatrum revertens, reum populo reassignavit, dicens: En juvenem, quem a vobis injuriam et violentum accepi, jam frugi et popularem vobis restituo. Cujus ejusdem Origenes quoque, in III contra Cælium lib., terminis tamen non nihil variatis, in hæc meminit verba: Lyeurgus, cum in ditionem accepisset, qui oculum sibi excusserat, non modo illam injuriam nil vindicavit, sed illum tamdiu enixe commonefecit, quoad tandem, se ut ad Philosophiam conferret, suavit. PLUTARCHI in *Lycur.*

Cum Diogenes, Romanus Imperator, acerrimo quodam cum Turcis inito prælio, in Sultani fuisse potestatem reductus, hic ipsum suæ propriæ mensæ accumbere jussum, et benevole tractatum interrogavit: Quidnam obscuro facturus esses, si me in tua positum potestate haberes? Cui Diogenes respondit: Multis utique te vulneribus conficerem. Ego vero, subjungit Turca, crudelitatem tuam non imitabor, vestrum namque Christum vobis imperasse scio, ut pacem habeatis, et injuriarum omnem prorsus deponatis memoriam. Quapropter eum amplectus est, factaque cum eo pace, ipsum una cum omnibus militibus captivis libertati, sub conditione Turcas deinceps amplius non molestandi, restituit, et Constantinopolim remisit. Quia vero in hac civitate infelicis prælii, captivæ Diogenis fama pervulgata fuerat, Deus (ut est verisimile) crudelem illum animum castigare volens, Michaëlem VII in Imperatorem eligi permisit. Unde Andronicus exercitum Diogeni obviam mittens, illum accepit captivum, et cum magno ludibrio mulæ impositum per civitatem circumduxit, ac tandem Imperator noviter electus oculos ei erui, et communibus totius plebis insultibus exponi fecit, sed quibus miserabiliter occubuit. Quisquis igitur Christianorum vindictæ deditus est, sequens ascultet a D. Chrysostomo vindictæ obiectum improprium, dicit enim: Philosophos considerate Gentilium, et discetis, quanto simus digni supplicio, qui divinæ legis præ-

cepta contemnimus, quandoquidem inveniantur illi propter humanam hæc honestatem innumera fecisse. BARONIUS, ann. 1071, n. 12.

Pompeio Magno non magis laudi datum legitur, quod tribus amplissimis triumphis tres orbis terrarum partes complexum sit, quam quod esset, ut scribit Patere. I. II hist. amicitarum tenax, in offensis exorabilis, in accipienda satisfactione facillimus. PATERCULI. I. II *Hist.*

Augustus Imperator Cinnae, necem sibi machinanti, et vitam et Consulatum donans: O Cinna, inquebat, iterum tibi vitam do, prius hosti, nunc insidiatori ac parricidæ. *Ibid.*

Marcus Bibulus, vir amplissimæ dignitatis et summis honoribus functus, dum in Syria moraretur, duos nobilissimos suos filios a militibus Ægypti occisos cognovit, quorum interfectores ad eum vinctos Cleopatra, Ægypti Regina, misit, ut ex eis, quam vellet, appeteret ultionem. At ille hoc accepto beneficio, quo nullum majus lugenti dari poterat, dolorem cedere virtuti coegit, carnifices filiorum intactos ad Reginam remisit, dicens: Hanc vindictam non suam, sed Senatus esse debere. Idem vero Seraphicus Doctor post recensitam hanc historiam hæc verba subjungit: Utinam nos sic, cum offendimur, divino judicio vindictas relinquere, quia dicitur: Mihi vindicta, et ego retribuam; nullam enim injuriam inultam relinqueret, si se homines vindicare nolent de similitudine sive ira, inquit: Injurias aliquis tibi fecit, læsit, infinita mala infixit? cave penam tuam prosequere, ne Dominum tuum contumeliose tractes, cede Deo, ipse negotium multo melius administrabit, quam tu cupis; tibi solummodo jussum est, ut pro eo, qui te læsit, preces fundas, quid autem de eo statuendum sit, sibi reservari jussit. Nos in causa propria competentes judices esse non possumus; non solum quia causa propria est, verum etiam quia iudicium, et mens nostra ab ira et appetitu vindictivo conturbata recte judicare nescit. S. BONAV. ser. de S. Agne.

Carolus V, Rom. Imperator, hominem, qui necem sibi pararat, ad se vocari jussit, eique post varias illum affectus sui significaciones mille aureos dono dedit, quibus nobilem filiam nupti collocaret, illus se miserem dicens, cujus filia natu grandior domi clausa esset. Imperatori insidiator gratias

egit, et ad conspirationem regressus, nesciebam, inquit, qualis Carolus esset, nunc liberalem et elementem Principem ferre nullo modo possum. ÆNEAS SYLVIUS, *de rebus Alph.*

Pericles convitiatorum suum toto die sustinens, noctu discedentem cum lumine domum comitatus est. POLET. *de Offic. Rel.* I. II, c. XXXIV.

Pythagoras dicebat, olle ab igne remotæ vestigium in cinere non relinquentem, neque injuriarum in memoria.

Socrates calce a quopiam appetitus in publico cum moneretur, ut hominem repercuteret. An, inquit, si osinus mihi calcem impigisset, in eum recalcitrem? Alias ab Aristophane publica convitia passus, cum postea obviam habuisset, quæsit, num se rurus ad similem rem aliam opus haberet. *Polyant.* v. *injuria.*

Puniunt Turca dissimulatores suæ religionis, et eos præcipue, qui nolunt ignoscere inimicis suis; cum enim Paschate suo ad templum veniunt oratum, nemo audet negligere veniam petere ab altero, sub poena Haram dicta, scilicet gravis peccati, et excommunicatione. Viditque exemplum hujus punitionis Trapezuntii Tenettus, ubi vetus mancipium, dum morbo caduco laborat, in eo morbi impetu unum aut alterum icium fuste dedit cuidam Cassanegirbassi, quod est munus præfecti alicujus. Is ubi ad se rediit, mox a viro illo veniam petiit; qui tamen iratus alapam ei dedit negata venia. Prætor, quem Aga vocant, ejus loci intellecta hominis obstinatione, eum captivum abduci jubet, ac post triduum quadraginta ietus fustuarii in dorso ei dari, munere simul ac salario privari. CORDIER. I. VIII, c. II.

SIMILITUDINES.

NECESSITAS. — Sicut olla fervens, aquam ebullientem ex se emittens, et circumjecta comburit, et ignem extinguit, et omnem pinguedinem a se expellit, tandemque, nisi refrigeretur, tota aqua ejecta, ipsa confringitur; ita cor ira et odio fervens proximos suos verbis contumeliosis irritat, lumen rationis extinguit, omnem divinæ gratiæ pinguedinem abjicit, tandemque nisi temperate temperetur, Deoque ac proximo reconcilietur, omni virtute vacuum, sua se malevolentia perdit, et quasi olla confracta dissolvitur. Unde Scriptura: Cor fatui quasi vas confractum.

TOMUS II.

etum. STAPLET. in *Dom.* 21, post *Pent.* th. VIII.

ÆQUITAS. — Sicut si quis in os suum dulcedo quid cum amaro permixtum accipiet, amaro sapore non retinet; ita cum amaro animo erga proximum nulla virtus teneri potest.

Sicut apes leve vulnus aculeo suo infingunt, sed vitam simul cum aculeo amittunt; sic inimicus in modico ledens, vitam gratiæ ledendo amittit. *Ibid.*

Sicut ignis exurens spinas, terram purgat; sic inimicus sua persecutione spinas peccatorum nostrorum, si patienter feramus, adurit, animamque nostram Deo cariorem reddit. *Ibid.*

Sicut qui ab equite lancea percutitur, non equo, sed equiti irasci debet, ideoque in hastidius, qui ex adverso occurrunt, si equum feriat, magno vitio datur; ita qui ab homine malo leditur, sessori diaboli, qui in corde ejus dominatur, non ipsi homini irasci debet. *Ibid.*

Sicut quædam remedia tristiora sunt ipso morbo, ut satius sit oppetere mortem, quam his acupari salutem, velut sugere sanguinem e vulnere recentis gladiatorum mortientium; ita quandoque satius est ferre injuriam, quam majori incommodo ulcisci, ferre pacem etsi parum commodat aut æquam, quam bellum cum immensis malis suscipere. *Polyant.* v. *Injur.*

Sicut medicus, ut morbo liberet ægrotum, non utrum merito, aut immerito contraxerit morbum, spectat; ita qui vere salutem inimici querit, non quo pacto odium conceperit, curat, sed, ut curetur, laborat. *Ibid.* v. *Inimicitia.*

Sicut, qui inflat in scintillam, excitat incendium, contra, si inspuat, extinguit et utrumque in manu nostra est; sic qui inflatus ingerit sermones, excitat ignem, accendit carbones; sin mites adhibent sermones extinguit, juxta illud Salomonis: Verbum dulce multiplicat amicos; sermo durus suscitatur rixas. *Ibid.*

Sicut agricola juxta allia et cepas serunt rosas, quod, quidquid in illis est molesti odoris, in hæc transeat; ita inimicus, si quis est in nobis mali animi, id totum in se recipiens ac consumens, reddit nos amicis jucundiores. *Ibid.*

UTILITAS. — Sicut hostis semper imminens muris in causa est, ut vigilet et sobria sit civitas; ita inimicus semper observans, quid

agas facit, ut nihil agatur, dicaturque temere. *Ibid.*

Sicut venena quædam, licet in se noxia, a morbis liberant; inimici, licet in se mali sint, multorum tamen commodorum causa existunt, adeoque patienter supportandi. *Ibid.*

Sicut majoris meriti est, credere mysteria, in quibus rationis lumen minus suffragatur, magisque contradicit; ita odium, quo magis amor proprio contrarium est, tanto majoris est meriti, illud superare, et inimicum odientem diligere. *STAPLET. in Dom. 21 post Pent. th. viii.*

Sicut calx viva, etsi tactu frigida sit, occultum tamen in se ignem continet, atque adeo, si aqua perfundatur, mox ignescit, et accenditur; sic vera dilectio Christiana etsi quandoque frigida sit, si tamen subito ab inimico aqua tribulationis vel persecutionis superfundatur, accenditur, et fervere incipit. *Ibid.*

Sicut athleta, ut omnem occasionem vincendi hostibus præcipiant, corpora sua oleo inungunt; ita qui Deum quodammodo vincere, atque ad parcendum adigere volunt oleo misericordiæ in condonandis injuriis exercita se inungere solent. *Idem in Dom. 1 post Pent. th. viii.*

Sicut solis radius, qui per vitrum transit, non tam fortiter calefacit, quam si recte sine obstaculo in parietem tenderet, quia scilicet in vitro retardatur, et hebetatur; ita charitas, qua amicus propter Deum diligitur, non tam vehementer afficit, quam ea, qua inimicus amatur, quia in amico plures rationes amandi inveniuntur, per quas illa charitas quodammodo minuitur. *STAPLET. in Dom. 21, post Pent. th. viii.*

Sicut in musica, si plures canant, non tam facile dignoscitur suavitas unius vocis, quia scilicet ab aliis vocibus absorbetur; ita dulcedo et suavitas amoris Dei difficulter percipitur, si tantum eos, qui bene nobis faciunt atque adeo multiplicem amandi causam offerunt, diligamus. *Ibid.*

Sicut magnes, qui ferrum attrahit, perfectior est, quam lapis, qui tantum festucam attrahere potest; ita perfectior quoque est dilectio qua inimicum amamus, quam qua amicum diligimus. *Ibid.*

Sicut, qui mane exiens etiam campum longe a fluvio remotum madidum reperit, mox colligit pluviam de celo lapsam esse, secus vero, si ripam dumtaxat made-

factam inveniatur; ita qui tam inimicum, quam amicum diligit, recte colligit, se dilectionem a Deo infusam habere, quod tamen non tam certo scit is, qui amicos dumtaxat, et propinquos diligit. *Sum. prædic. tit. carit. n. 23.*

MOTIVA.

Quia sic Sancti plurimi exemplo suo docuerunt; de quo exemplo sic S. Basilius loquitur: Quorum ergo, dic mihi, tu cupis esse discipulus? Beatorum ne hominum ac Deo gratorum, an eorum, qui Spiritu maligno sunt reperi? Approbas illorum facta, confiterisque illa ipsis fuisse honorifica, et tibi credis in dedecus cedere, inimico parere?

Quia sic conducit ad diabolum vincendum; de quo motivo sic loquitur S. Augustinus: Duos inimicos constitue tibi ob oculos, unum apertum, et alterum occultum, hominem et diabolum; unum vide, alterum intellige; unum dilige, alterum cave. Homo hominem vincit humana aliqua felicitate, diabolum autem vincit inimici dilectione. Sicut homo inimicus auferre tibi cupit aut avertere felicitatem, qua vincitur; sic et diabolum vult hominem vincere, auferendo, unde vincitur. Sed cura in corde servare inimici dilectionem, qua diabolum vincis. Serviat homo, quantum potest, auferat quidquid potest. Si diligitur aperte sapiens, virtus est occulte sapiens. *Enar. in Psalm. lxxv.*

Quia summe conducit ad propriam famam et gloriam augendam, Deumque nobis conciliandum; nam in primis Deus ipse, S. Paulo teste, volens notam facere potentiam suam, sustinuit vasa ire apta ad inheritum in multa patientia. Certe, ut bene advertit Petrarca, multo formosius est oblivisci injuriam, quam ulcisci. Generosior nulla est oblivio, quam offensæ; hanc summus Orator summo Duci summæ laudi tribuit, quod scilicet nihil solet, nisi injurias oblivisci. Nihil autem prohibet unius laudem illi non ereptam ad plurimos pervenire. Quod autem conducit ad gloriam augendam breviter indicavit, qui dixit, persecutores esse aurifabros, qui nobis et præsentis, et æterni regni coronas fabricant, uti in fratribus Josephi apparet, et in Esau, de quo dictum: Major serviet minori, non obsequendo, sed persequendo et ad virutem exerceo; nempe tusionibus, pressuris expoliti lapides, suis coaptantur

locis per manus Artificis, disponuntur permansuri sacris ædificiis, ut Ecclesia canit. Quod denique ad Deum conciliandum juvet, patet ex eo: Dimittite, et dimittimini; qua mensura mensi fueritis, eadem remetietur vobis. Qua de re pulchre iterum Petrarca: Nihil tam necessarium inter mortales, nihil tam commune, quam venia; nemo est enim, qui non peccet; nemo cui misericordia opus non sit, qua negata quis tam multos criminum et culparum extricabit nodos, aut disolutum diruptumque societatis humanæ fœdus resarciat? Semper inter se homines, et ira Dei decertabit inter illos; nullus erit aut litium, aut pœnarum finis, nec cessabunt arma, nec fulmina. Parce igitur, misere, et compece animum; fac tu homini, quod tibi ab homine fieri velles, quod a Deo vis. Impudenter a Domino veniam petit, qui conservo illam suo negat. *PETRARCA, l. I, Dial 401.*

Quia sic conducit ad inimicum conciliandum; sic enim Jacob fratrem Esau, sic David Saul, sic Pilatus Herodem conciliavit. Ut pulchre nonnomo per fabulam contentionis inter solem et aquilonem ventum exortæ ostendit, ubi citius sol radiis suis, quam aquilo suo flatu pallium vialiorem abstulit.

Quia ipsi celos incitant, de quibus S. Augustinus in illius Psalmi cxx Commentario (quoniam secundum altitudinem cæli a terra) sic discurre: Peccant homines sub cælo, tamen proteguntur a cælo. Inde lux ad oculos, inde aer, inde spiritus, inde pluvia ad terram propter fructus, inde omnis misericordia a cælo. Tolle auxilium cæli a terra, statim deficiet. *S. AUG. in Ps. cii.*

Quia etiam alia insensata nos ad id ipsum excitant. Terra quo magis fodiendo percutitur, quoque abundantiori gravatur fimo, tanto copiosiore reddit fructum; vites aliæque arbores quantumvis putatæ, ferroque incisæ fuerint abundantioribus replentur uvæ et pomis; nucæ, quanto magis percutiuntur, tanto fertilius sinum nostrum suis implent fructibus; imo arbores aliæ, quanto magis ponderibus gravantur, obstinatiusque terram versus inclinantur, tanto magis fructifera evadunt; quid ni igitur et nos, quanto majores ab inimicis persecutiones perpessi fuerimus, tanto gratiores esse debemus? *MANI, l. XXXV, disc. iii, n. 4.*

Quia irrationabilia quoque animalia talem dilectionem docent, equi, jumenta, multaque animalia alia, quamvis percutiantur, et ca-

dantur, non tamen ferociter adversum nos, nec a suo desistunt servitio, imo canes percussis, cauda potius ablandiri solent; hinc Cardinalis Bellarminus in quadam concione sua ait: Nonne canes aliquando vehementissime verberamus, et ipsi statim omnium injuriarum oblitii motu caudæ blandiuntur? *Ibid. n. 5.*

Quia qui vindictam spirant, Deo et hominibus exosi sunt. Unde certe D. Chrysostomus: Quantum, inquit, putas tormentum esse hominis afflictæ animæ, quotidie cogitare, ut ulciscatur inimicum? Necessarium semper apud se flagrare ignem? Ipse tunc ipsum morde, semper flammam vigescentem ferens, et animam in se quiescere non sinens, sed semper in exasperatione, et in tempestate mentem habens. Quid hæc insaniam molestus? Semper contristari et ardere; tales enim sunt animæ eorum, qui ultionem meditantur, nam ubi viderint eum, quem volunt ulcisci, statim percussus sunt, si vocem audiant, concidunt, tremunt; si in lecto fuerint innumeras pœnas apud se scribunt, dilacerantes, torquentes inimicum. Adhæc si illum clarescere viderint, pape! O pœnas! Remitte illi, et libera te ipsum a tormento. Cur perseveras, ut le punias, ut illum semel flagelles, et in eum animadvertas? Quid paras tibi ipsi morbum? Quare bestiam in viscera tua includis? At melius esset viperam vel serpentem in corde positum esse, quam iram, nam ille quidem nos liberaret, hæc autem manet semper, dentes fortiter infingens, immissoque veneno pessimamur cogitationum exercitum producit. *S. CHRYS. t. IV, in Acta.*

Deus inimicitiam plerumque lege talionis punire solet. Sic Adonibesech etc.

Quia licet inimicus non mereatur veniam, Deus tamen dignus est, ut propter illum condonetur, ut recte monet S. Augustinus dicens: Occurrit tibi, qui te læsit; occurrit tibi, qui te spoliavit; occurrit tibi, qui te in carcerem misit. Eia! attende cor tuum, respice Dominum tuum. Ecce malus inimicus tuus, ecce bonus Dominus tuus. Tuus equidem inimicus venia indignus est, sed Deus illa dignissimus, et tu amore ejus illi ignoscas, ipse mereatur; respice Dominum tuum. *S. AUG. ser. xxv, de Temp. c. vii.*

MEDIA.

Christi exemplum et imperium assidue ob

oculos habere. Ita S. Bernardus suavitatis dicens: Fecit bonus Doctor, quod jusserat; orat non solum pro persecutibus, sed etiam pro occidentibus se, dicens: Pater ignosce illis. Recorde in thesauro cordis tui hoc verbum, ut quotiescumque sæviant inimici, memoriam abundantie suavitatis Jesu valeas eruclare, hunc clypeum contra inimicorum insultus opponens. Tract. de Pass. c. viii.

Et S. Augustinus: Attende igitur Magistrum tuum ac Dominum Deum, non in cathedra sedentem, sed in ligno pendentem, et circumspicis undique turbis inimicorum, dicentem: Pater, ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt. Attende ubi hoc fecit; in cruce, non in celo; semper namque in celo cum Patre, in cruce autem pro te, homo, ubi se imitandum præbuit omnibus, pro te emisit ipsam vocem, ut ab omnibus audiretur. Nam potuit orare pro illis in silentio, sed tu non haberes exemplum.

S. Eucharistiam frequenter sumere ad dilectionem hanc obtinendam; nam, ut S. Augustinus ait: Dominus noster Jesus Christus corpus et sanguinem suum in his rebus commendavit, quæ ad unum aliquid redigantur et multis. Namque aliud in unum ex multis granis conficitur; aliud in unum ex multis acinis constat. Hinc olim solempne convivium instituebatur, quod Charistia vocabatur, quia præter amicos et cognatos nemo admittabatur, ut, si qua esset inter illos orta querela voluntatumque disjunctio, apud sacra mense, et in communi hilaritate, auctoribus concordie adhibitis, tolleretur. Tract. xxxvi in Joan.

Tale est convivium Eucharistie, quam S. Thomas Sacramentum unitatis appellat; nam, ut pulchre S. Cyprianus advertit, quæ uniuntur uni tertio, uniuntur et inter se, quibus unus est panis, unum est corpus, et omnium unum cor, et anima una. Ser. de Cæna Domini.

Considerare proximum ut Christi sanguine redemptum; ita docuit S. Augustinus, dum dixit: Quem vis contemnere, pretium ejus attende, et cum morte Christi, totum mundum appende. De verbo Dom.

Perpendere, quod nobilissimum vindictæ genus sit, parere. Ita B. Egidius S. Francisci socius docuit: Quando quis contendit tecum, si vis vincere, parce; si vincis teipsum, vincis omnes inimicos tuos. FABER. tom. I in festo S. Steph.

Cajus rei pulchrum exemplum Joan. Mo-

schus affert his verbis: Duo Episcopi erant in similitate; unus ex eis, ut illam discuteret, cum Clero processit ad alterum, atque ad ejus pedes procidit dicens: Ignosce, Domine, servi tui sumus. Ille victus hac humilitate: Tu meus, ait, Dominus ac Pater es. Unde concludit Moschus: Et vos, cum habeatis inimicum, ita facite, et vincetis. In Prato spir. cap. cxx.

Justitiam Dei perpendere, ideoque illi totam vindictam committere; nam, ut bene Petrarca ait: Mea est ultio, et ego retribuam eis in tempore, dixit Dominus: Illud ergo tempus expecta; sine, ille te vindictæ, qui et offendenti est Dominus, et offensi. Lib. I. c. ci.

Novissimum, et præcipue mortis assidue meminisse. Sic Salomon suavitatis, dum dixit: Memento novissimum, et desine inimicari. ECL. xxviii, 6.

Nihil enim, teste Petrarca, magis alit inimicitias, quam conditionis oblitio. Si quidem iste, cujus mortem sitis, ne dubita, moriturus haud dubie est, et idipsum cito, fortasse hodie, tuque illum fortasse, quod non cogitas, præcursum. Expecta paululum, subsiste, fiet, quod fieri optas, et quod metuis, fiet. Mors quam hosti paras, sine tuo scelere illi parata est. Quid juvat, fati cursum properantis impellere, et morituri sanguine morituras manus inficere? Quanto tranquillius atque honestius ille integer et illæsus, tu sicus et innocens, quam uterque cruentus, et tu noxius hinc abibis? Loco cit.

Amantium graviora libenter tolerantium exemplum proponere; quod medium S. Chrysostomus sequentibus verbis suavitatis: Morbus iste aut ex inflammatione fit, aut ex frigiditate, verum utrique dilectionis virtus suo calore mederi consuevit. Non vides turpes illos amatores alapas, sputa, opprobria, innumeraque alia incommoda, quæ fornicariæ ille mulieres infligunt, patienter ferre? Quid igitur amor hic existimet? Illata convitia? Nequaquam; imo magis inde accenditur. Quamquam ista facientes muliercule, præterquam quod fornicantur, obscuro etiam ac vili genere sint, qui vero talia ab ipsis patiuntur, illustres sæpe numero progenitores numerare, neque tamen hoc ab amata cohibet. An non erubescimus, quod tantam erga Deum dilectionem, quantum habet potentiam diabolicus ille ac demoniacus amor, ostendere nequimus? S. CHRYS. t. I, hom. xlii.

Dei ignoscentis exemplum considerare; quod idem S. Chrysostomus suggestit dicens: Miser homo et ærumnose, non vis a conservo tuo derideri, sed odio haberi a Domino tuo; non vis contemni a conservo tuo, et contemnis Dominum! Non putas indignari Dominum, quod illum contemnis, et quod illum deridens, non vis illi obtinere! Idem, hom. xli. in Acta.

ASCETICA.

Tria præcipue circa hanc materiam bene addiscere debet Asceta. Primum est, ut bene discat, injuriam, ut oportet, aspicere et accipere, videlicet non ut ab homine, sed a Deo permittente profectam, juxta exemplum Davidis dicentis: «Dimittite eum, ut maledicat; Dominus enim præcepit ei, ut malediceret David, et quis est, qui audeat dicere, quare sic fecerit?» II REG. xvi, 10.

Secundum est, ut discat modum perfectæ remissionis, qui quidem in tribus consistit. 1. Ut ex corde dimittatur; ita Christus docuit, dum dicit: «Sic et Pater meus celestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.» MATTH. xviii, 35.

2. Ut cito remittatur; nam sicut vulnera recentia facilius curantur, quam inveterata; ita et injuriæ, dum recentes sunt, si non condonentur, difficilius semper remittuntur, ubi inveteratum fuerit odium. 3. Ut plene dimittatur; ut omnes sex gradus supra §. 1 assignati, quantum fieri potest, observentur.

Tertium est, ut debita æstimatio de præstantia hujus dilectionis concipiatur; quem in finem proderit sequentes SS. Patrum sententias ponderare. I. S. Chrysostomi, dum ait: «Potuit sane Deus absque hac mutua et reciproca proximi tui condonatione, tibi omnia peccata dimittere, vult tamen beneficium etiam per ista media conferre. Quare? Mille tibi videlicet occasiones præbens mansuetudinis ac pietatis, et hoc, quod in te beluinum est, depellens, et iram, qua flagras, expellens, et undique quasi tibi teipsum reconcilians, et conjungens.» Hom. xx in Matth.

2. S. Cypriani: «Nam quanta spes veniæ est, cum ipse Judex non tam expectat, quam ratione a supplicio liberemur, quam ipse nos viam ac modum docet, unde id efficiamus? Quasi diceret, sic facite, et ego parcam; dimittite, et dimittimini.» In Exposit. orat. Dom.

3. Item S. Chrysostomi: «Quis unquam inter homines remittens conservo suo modicum, propterea a Domino suo totius debite remissionem obtinuit? At hic quotidie tibi hoc datur. Deus enim noster dives est in misericordia et miserationibus. Deinde si nihil a Deo huic indulgentiæ præmi proponeretur, at, quia omnes benevolenti et benefico favent, omnes illum admirantur et laudant, etiam non jubente Deo remittere debemus inimicis nostris.» Hom. i in epist. ad Philem.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis illius: «Mihi vindicta, et ego retribuam;» HEBR. x, 30.

Dicere potest concionator, se audeat facinus commissurum, et omnes ad ultionem de inimicis sumendam hortaturum; sed talem, quæ honestate, efficacia, et diuturnitate alias omnes ultiones, quas ullus hostis de inimico suo sumpsit, longe antecedit, eam autem non aliam esse, quam dilectionem inimici, quæ ignoscendo, obliviscendo, orando, beneficiendo, perficitur. Probetur itaque

1. Quod hæc ultio sit honestissima. Nihil enim honestius, quam ut famus similes Deo, cujus proprium est misereri et parere; hinc Saul Davidi vaticinatus: Scio, inquit, quod certissime regnaturus sis, et habiturus in manu tua Israel; nempe id collegerat ex inusitata mansuetudine. Quæ omnia confirmat D. Gregorius Nyssenus in illa verba «Dimittite nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris,» sic loquens: Progrediens sermo venit ad ipsum punctum virtutis, quod propemodum non amplius intra terminos humane nature conspiciatur, ut alius ille ipse Deus esse videatur, dum faciat ea, quæ solius Dei est facere.

Vide fusius hoc probantem Didacum Nyssenum, in Fer. 3 post Quadrage. perioch. 1.

2. Quod sit efficacissima ultio; id quod pulchre Petrarca indicavit, dum dixit: Aptissimum tollendis hostilibus instrumentum est lenitas, in quo si creditum esset Hieronimo, seni sapientissimo, nec Samnitum exercitus modo victor collo jugum Romanum, nec jugum primo cum reliquis, mox securum solus Imperator Pontius pertulisset. Hinc S. Paulus: Si esurierit inimicus tuus eilla illum; si sitit, potum da illi; hoc enim faciens carbores ignis congreges super caput ejus. Vide

de hoc argumento Fabrum, conc. ii in festo S. Steph. n. 5, et conc. iii, n. 2.

3. Quod sit maxime *diuturna* quoad delectationem, ex eo colligitur, quod, ut bene iterum Petrarca advertit, ultionis momentanea est delectatio, misericordie sempiterna. Duo- rum autem delectabilium illud præferendum est, quod diutius delectat. Fac tu hodie, quo perpetuo delecteris. Nulla vero major, nulla firmiter delectatio est, quam que de puritate conscientie, et rerum bene gestarum recordatione oritur.

Ex occasione thematis : « Iratus Dominus tradidit eum tortoribus; » MATTH. XVIII, 34.

Ostendatur, quam multos offendat, atque adeo quot hostes contra se armet, qui vindictam de proximo capit, nempe 1. *Inimicum*, quem plerumque in bonis externis, corpore et anima lædit. 2. *Rempublicam Christianam*, seu homines pios tam in terris, quam in cœlis existentes; si enim servi videntes conservum vindictam de conservo sumentem, contristati venerunt, et narraverunt domino suo omnia, que facta erant, quanto magis homines pii et cœlestes ob similem vindictam indignabuntur? 3. *Christum*, qui verbo et exemplo docuit inimicos diligere. 4. *Deum et Magistratum* vires Dei tenentem, quorum officium invadit, et eripit. 5. *Seipsum*, dum se vindicta, que in corde posita nocentior est vipera, teste S. Chrysostomo, consumit, et animam propriam occidit, januamque cœli occludit. Unde contingit tali, quod urso, qui, quia ab una ape lectus est, de omnibus apibus se vindicare volens, alveare evertit, sed ab omnibus misere laceratus dicebat: Quanto melius erat, unius apis aculeum tolerare, quam tot in me hostes mea iracundia concitare! Vide Fabrum, conc. v, in Dom. 21 post Pent.

Ex occasione thematis : « Diligite inimicos vestros; » MATTH. V, 4.

Dici potest, contingere illis, qui vindictam cohibere, et odium superare volunt, quod David olim contigit, qui pugnaturus cum Goliath dicebat: Quid dabitur viro, qui percusserit Philisthæum hunc? I REG. XVII, 26.

Quare dicat concionator se responsurum, ut Israëlité Davidi responderunt. Et I. quidem virum, qui percusserit eum, « dabit Rex divitiis magnis. » Explicetur proinde, qualia bona in corpore, anima, fama, fortunis procurat hæc victoria, sed præcipue in gratia et gloria. Qua de re videri potest Drexellius

in Christo resurgente, p. III, c. 1, § 6.—2. Et « filiam suam dabit ei uxorem. » Explicetur hoc loco, quomodo Deus ipsam quoque felicitatem desponset tali homini, ita ut non fere sit certius signum predestinationis, quam dilectio inimicorum, uti fuse ostendit P. Drexellius in Zodiaco signo 9. — 3. « Et domum ejus faciet absque tributo. » Potest hoc applicari ad tributum in altera vita persolvendum, scilicet penas purgatorii, quas vel maxime vitari facit dilectio, uti expertus Religiosus aliqui tepidus, sed inimicis facile veniam dare solitus, et propterea non sine admiratione aliorum a purgatorio liberatus. Nimirum si quævis elemosyna a peccato liberat, et non sinit animam ire in tenebras, uti Tobias dixit, quanto magis hanc vim perfectissima elemosyna, qua venia datur inimicis, habeat? Excitentur proinde auditores ad fortiter aggrediendum hunc Goliathum.

Ex occasione thematis : « Nonne et te oportuit misereri conservi tui, sicut ego tui miserus sum? » MATTH. XVIII, 33.

Dicere potest concionator, se non dubitare, quin multi foveant inimicitias, sed eas deponere impossibile judicent, quare usum se medio, quo Deus S. Augustino impossibilitatem continentie objecerit ostendit, eam adeo difficilem non esse, dum continentia ei pueris et puellis cincta apparuit, et quasi subridens dixit : Potuerunt isti, et ista, et tu non poteris? Producantur ergo varia exempla, semperque post quodvis repetatur : *et tu non poteris?* 1. Ita que proponatur exemplum colorum, de quo S. Augustinus ait : Peccant homines sub cœlo, faciunt omnia mala sub cœlo, itamen cœlo protegentur. Inde lux ad oculos, inde aer, inde spiritus, inde pluvia ad terram propter fructus, inde omnis misericordia a cœlo. 2. Exemplum plantarum, præcipue vitium et arborum, quas singulis annis spoliamus et tondemus, et tamen ipsæ uvas et poma liberalissime nobis proferunt. 3. Exemplum bestiarum, præcipue canum, qui licet acerbissime verberentur, ipsi tamen statim omnium injuriarum oblit, motu caudæ blandiuntur. 4. Exemplum Ethnicorum, de quo S. Chrysostomus sic loquitur : Philosophos considerate Gentilium, et dicetis, quanto digni sumus supplicio qui divina legis præcepta contemnimus, quandoquidem invenitur illi propter humanam hanc honestatem innumera fecisse. Videantur supra exempla

profana. 5. Exemplum Angelorum Custodum, qui, licet toties peccatis nostris offensi, non deserunt nos. 6. Exemplum Christi orantis pro tantis inimicis, et excusantis. 7. Exemplum Patris cœlestis, tam graviter a tam multis offensi, et tamen solem suum super illos oriri facientis. Excitentur proinde auditores, ut judicent sibi possibile, quod tot tantique potuerunt; aspiciant proinde, et faciant secundum exemplar, quod eis monstratum est. Vide Fabrum, conc. ii in Dominica. 2 post Pentecosten.

Ex occasione thematis : « Et ceperunt se omnes excusare; » LUC. XIV, 18.

Afferri possunt excusationes frivole, quas alii prætendunt, ne ignoscere cogantur, et una post alteram refutetur. 1. Est qua dicunt se condonare quidem injuriam, oblivisci tamen non posse. Refutetur quaerendo, num et ipsi sic velint Deum secum agere? an hoc sit dicere : Dimitte nobis debita, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris? 2. Est, qua dicunt se quidem non difficiles fore ignoscendo, sed publicum, quod gerunt, officium honoris defensionem exigere. Refutetur, ostendendo, etiam Christum, S. Stephanum et alios, munera publica habuisse, nec tamen se vindicasse, summum officium, et quidem publicum, esse, officium boni Christiani bene obire. 3. Est, qua dicunt, nullam offensionem causam se dedisse. Refutetur, etiam Christum et alios non dedisse causam; præterea saltem Deo ipsos causam dedisse, ipsorum peccata per inimicos puniendi. 4. Est, quod injuria nimis gravis sit. Refutetur, et dicatur, etiam præmium non leve fore, si dimissio offense non levis fuerit. Numquam virtute magnum quem fore, nisi magnus injuriis exerceatur; nam, teste S. Hieronymo, Deus faber est, inimici lima sunt et mallei, quibus nos ille expurgat, Sanctosque sculpi. 5. Est, quod nimis vilis sit, qui injuriam fecit. Refutetur ex Thoma Kempensi sic loquente: Ne dicas: Non valeo hæc ab homine tali pati, sed ab alio libenter patiar, et sicut patienda videro. Inspiciens est talis cogitatio, que virtutem patientiæ non considerat, nec a quo coronanda erit, sed magis personas et offensas sibi illatas. L. III, c. x. Vide plura loco cit. — 6. Quod nimis grave odium exarsit in corde, nec possibile sit illud vincere. Refutetur, quod nihil impossibile sit Deo nos juvante; neque impossibile censi debet Christiano, quod tot tantique alii,

etiam Ethnici, superarunt. Vide Drex. has et plures objectiones refutantem, in Zodiaco signo 9, §. 5.

ALII CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Didaeus Nysenus de hac virtute sic discurrit : Ut semel totum eloquar aio, eam summam esse hominis fortitudinem, qua masculi pectoris robur, et generositatem animi unice demonstret. Abbas Isaac dixit, hoc ita esse, et hæc una re posse hominem eo peringere, ut apud Angelos admirationem sui excitet. Qui cum humilitate sustinet accusationes objectas, hic ad perfectionem pervenit, et a S. Angelis admiratur, nulla enim ita magna, et difficilis ad obtinendum virtus existit. Sic ille, de Contemptu mundi, cap. XIII : AS. Angelis admiratur, inquit; nulla enim virtus tam difficilis acquisita est, quam ista. DNAC. NYSSENSUS, ser. 6. post Cin. §. 1.

S. Thomas ulterius ostendit, multo magis meritorium esse, diligere inimicum, quam amicum, sic enim discurrit : Dupliciter istæ dilectiones comparari possunt, uno modo ex parte proximi, qui diligitur, alio modo ex parte rationis, propter quam diligitur. Primo quidem modo dilectio amici præminet dilectioni inimici, quia amicus et melior est, et magis conjunctus; unde est materia magis conveniens dilectioni, et propter hoc actus dilectionis super hanc materiam transiens melior est, unde et ejus oppositum est deterius, pejus enim est odisse amicum, quam inimicum. Secundo autem modo dilectio inimici præminet propter duo : Primo quidem, quia dilectionis amici potest esse alia ratio, quam Deus, sed dilectionis inimici solus Deus est ratio. Secundo, quia presupposito, quod uterque propter Deum diligitur, fortior ostenditur esse Dei dilectio, que animum hominis ad remotiora extendit, scilicet usque ad dilectionem inimicorum, sicut virtus ignis tanto ostenditur esse fortior, quanto ad remotiora diffundit suum calorem. Tanto ergo ostenditur divina dilectio fortior esse, quanto propter ipsam difficiliora impletur; sicut et virtus ignis tanto est fortior, quanto comburere potest materiam minus combustibilem. S. THOM. II, II, q. XXVII, n. 7.

S. Bernardus geminam causam assignat, cur Deus tantopere eos, qui vindictam spi-

rant, detestetur, dicens: Gravior injuriatur Deum, et turpiter inhonorat illum, si homo auferat sibi aliquid, quod sibi soli reservat Deus. Tria autem sunt, quæ sibi soli reservat, Gloriam, Judicium, Vindictam. De gloria, sicut Isaia XLII, ipse Dominus ait: «Gloriam meam alteri non dabo.» Secundo reservat sibi judicium, hoc est, finaliter judicare. Unde Joan. V, dicitur: «Dedit Pater omne judicium Filio, quia Filius hominis est,» id est, quia Deus et homo est. Tertio sibi reservat vindictam, ideo, ad Rom. XII, ait: «Mihî vindicta, et ego retribuam;» qui ergo de inimico se vindicare contendit, rapinam perpetrat contra Deum. S. BEAT. TOM. I, ser. L.

Quod ipsum etiam confirmans Sanctus Chrysostomus sic loquitur: Quod si in hominibus id fit, et vulnerato a nobis alieno servo, dominus illius indignetur, ac pro contumelia accipiat, ipsi quoque si injuriis afficiamur, sententia Judicium et Dominorum expectanda est. Idem quoque Sanctus id ipsum persuadere nititur sequenti motivo: Si in rebus humanis, inquit, nemo sibi tuto jus dicit, et pro arbitrio ultionem dispensat, in celebri quodam suo tractatu de Oppositione contra personas testium, q. III, n. 41, talem statuerit conclusionem: Inimico non credatur etiam constituto in articulo mortis, ac etiam, quod plus est, quod sumperit sacratissimam Eucharistiam, sicuti post alios, quos allegant, affirmavit Marsilius, Gigas etc. quod omnes præfati Doctores, et alii plerumque communiter sequuntur.

Specialiter quoque notandum in hac materia, inimicis veniam petentibus parcendum quidem, non tamen perinde etiam credendum esse, uti sapienter Abulensis advertit, dum in locum illum Scripturæ: Ascenderunt ipse (David) et viri, qui cum eo erant, ad loca tutiora, sic discurret: Egit hoc David, quia credidit, quod nunquam Saul revertetur ad sanam mentem erga eum firmiter, sed ad tempus, et hoc credidit, postquam scivit malitiam ejus esse consummatam. Nec in hoc agebat David contra conscientiam, quia, quamquam tenemus inimicis veniam petentibus parcere, tamen non tenemur illis credere. Prudentissime ergo fecit David, quod se cum suis ad loca tutiora recepit, etiam postquam amicitiam cum Saule resarcivit, nam, ut poeta quidam Grecus aiebat: Inimicis non credens, nunquam utique damno afficeris. ABULENSIS in c. XXI l. II Reg.

Quod ipsum etiam confirmans Ecclesiasticus: «Non credes, inquit, inimico tuo in æternum,» rationemque mox subducens: «Sicut eramentum, æruginat nequitia illius.» ECCL. XII, 40.

Notandum in his, quod non jubemus non amare inimicos nostros, sed non illis fidere, quia et paulo ante dicebamus ex Abulensi, quamquam teneamur inimicis veniam petentibus parcere, tamen non tenemur illis credere. Dilectionem itaque semper illis debemus, dare fidem non tenemur. Quid causæ? Id subjungit Ecclesiasticus inquit: «Sicut eramentum, æruginat nequitia illius.» Obscura similitudo, quam fusius hoc commentariolo illustrat: Æs licet tersum, perlucidumque sit, ita ut aurum esse videatur, absque alia re ex seipso rubiginem agit. Tale quid inimicus agit, inquit Siracides, cave illi unquam credas, æris namque similis est, velut enim hoc ex seipso æruginat; sic inimicus, quamquam tu illi nullam subministres, sibi ipsi cudit, et parat perendi tui occasionem. Quod inimicus est, id satis est, ut nullam prætereat viam, que in tuum exitum ducat, nullum intermittat studium, quo tibi incommodare possit, nullum relinquat lapidem, quem non moveat, ut te deiciat, et in ruinam impellat.

Adeo vero nihil credendum inimicis, ut Prosper Farinacius insignis Juris Consultus in celebri quodam suo tractatu de Oppositione contra personas testium, q. III, n. 41, talem statuerit conclusionem: Inimico non credatur etiam constituto in articulo mortis, ac etiam, quod plus est, quod sumperit sacratissimam Eucharistiam, sicuti post alios, quos allegant, affirmavit Marsilius, Gigas etc. quod omnes præfati Doctores, et alii plerumque communiter sequuntur.

Sanctus Paulus Apostolus, dum commemoraret gratias et favores (quod cultus Dei et gloria postulabat) quibus illum superi dignati fuerant, sic aiebat: «Signa Apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia, in signis et prodigiis.» II Corinth. XII, 41, velut dixisset: Satis probavi me Apostolum, hinc ex adversis, que fortiter toleravi, inde ex miraculis, que feci. DR. NYSSEN. *ser. VI post C. in. § 1.*

Theodoretus hoc bene adnotavit, primas dari patientiæ, et ante signa, prodigiaque illam merito constitui: Recte, inquit, signis tolerantiam proposuit, tamquam justitiæ ratio id exegerit, ut superiorem faceret æquanimitatem injuriarum tolerantiam, et noxarum condonationem operatione signorum, et prodigiorum. Mentis enim recte facta sunt multo præstantiora; et majus miraculorum est, ignominiam æquo animo accipere, nec

offendi injuriis, quam facere prodigia. Et notate pro eo, quod Apostolus ait: Signa Apostolatus mei, esse apud Syrum, signa Apostolorum, quasi sit character Apostoli, si quis injurias patienter ferat, incommoda leniter, aut leviter toleret; hæc enim virtus tam est sublimis et excelsa, ut non minor Apostolo haberi debeat, quisquis illam habet.

S. Gregorius Nyssenus rationem inquirat, ob quam præcipua Deum inter et hominem similitudo in remissione injuriarum constituitur, et respondet, inde fieri, quia ad Deum solum, non vero ad alios spectat, remittere et condonare offensas. Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? Præscribit Dominus, qualem velit esse eum, qui ad eum est accessurus, ad hoc ut ipsi Deo per virtutem ita assimiletur, ut Deus esse videatur, dum scilicet faciat ea, que solius Dei est facere; debitorem enim remissio, proprium est Dei munus. S. GREG. NYSSEN. *de Orat. Dom.*

Quintus Curtius de quibusdam extraneorum populorum Legatis refert, quod postquam multa ad Alexandri laudem dixissent, tandem omnia ejus præconia brevi epilogo his verbis annuntiarint: Tu Philippi es filius. Poterat utique, probeque noverat Incarnata Sapientia plurima excellentissima in eorum, qui injurias inimicis remittunt, honorem ac laudem accumulare præconia, ut vero hoc unicum ei sufficere videbatur, ut sitis filii Patris vestri, qui in cælis est; hic enim altissimus est honoris vertex, ad quem homo potest pertingere, plus enim intellectus creatus prætereare nequit, multo minus comprehendere. MANSI, tr. XXXI, disc. XI, n. 3.

Egena vidua quædam Elisæo quondam extremam suam paupertatem, sequæ debitis insuper gravatam in hæc legitur insinuasæ verba: «Ecce creditor venit, ut tollat duos filios meos ad serviendum sibi.» Sed quid Prophetam ei respondisse antumatis? «Dic mihi, quid habes in domo tua?» At illa respondit: «Non habeo ancilla tua quidquam in domo mea, nisi parum olei, quo ungar.» Cui ait: «Vade, pete mutuo ab omnibus vicinis tuis vasa vacua, non pauca; et ingredere, et claude ostium tuum, et mitte inde in omnia vasa hæc, et cum plena fuerint, tolles.» Crevit itaque oleum in omnibus vasis adeo, ut deficientibus vasis exundaret, de quo certior factus Elisæus femine præcepit dicens: «Vade, vende oleum et redde creditori tuo; tu autem et

filiî tui vivite de reliquo.» Quis hæc in figura contigisse negaverit? Si quidem immensum est, quod homo cum justitia divina contraxit debitum, utpote qui in multis offendimus omnes, quemadmodum in oratione Dominica profitemur quotidie. Quem autem satisfactionis modum nobis a creditore nostro insinuat esse putatis? Dimitte, et dimittemini. S. Augustinus per oleum misericordiam intelligit, dum ait: In oleo misericordia intelligitur; ac proinde, si oleum charitatis et amoris erga Deum et proximos nostros habeamus, optime facturi erimus, si illud pro aliqua saltem parte in vasa vacua infundamus, id est, nostris persecutoribus et inimicis, qui timoris Dei, spiritualium virtutum, aliorumque honorum spiritualium inania vasa sunt, impendamus; hæc enim dilectionem exerecendo, per redditionem boni pro malo is, qui injuriis nos affecerunt, charitas erga Deum et proximos in cordibus nostris augebitur. Hæcque ea, quibus coram Deo obnoxii sumus, debita dilnet, et abolent, siquidem charitas operit multitudinem peccatorum. Præter hæc vero satisfactionem alius quoque insuper lucris augebimus, quæ in illis verbis insinuatur: «Ut sitis filii Patris vestri, qui in cælis est.» *Ibidem, disc. XVI, n. 4.*

Sapienter SENECA: Irascetur, inquit, aliquis? Tu contra beneficiis provoca, cadit statim simulata ab altera parte deserta; nisi par, non pugnat. SENECA, l. I. *de Ira, c. XXIV.*

Recte dictum est ab Antisthene Philosopho ad tuendam salutem opus esse aut ingenuis amicis, aut acerbis inimicis, propterea quod illi, dum admonent peccantes; hi, dum maledicunt, revocant a vitis; sed quia ad libere admonendum pene vocem amisit amicitia, superest, ut ab inimicis veritatem audiamus. PLUR. l. *de util. cap. ex inimicis.*

Itacondissimæ, ac pro corporis ceptu pugnacissimæ sunt apes, et aculeos in vulnere relinquunt. Rex vero sine aculeo est, nonnisi illum natura, nec fas sevum esse, nec altionem magno constitutum petere, telumque detrahit, et iram ejus inermem reliquit, exemplar hoc magnis Regibus ingens est. Pudeat ab exiguis animalibus non trahere mores, cum tanto hominum moderator esse animus debeat, quanto vehementius nocet. SENECA, l. I. *de Clementia, c. XIX.*

Thomas Morus dicebat: Ethnicis, et ingrati beneficiis pulveri; si quid mali patiuntur, marmori inscribunt. Christiani est. bene-

ficia marmoris insculpere. LUDOVIC. CARBO in *Th. pract.* l. III, c. XIX.

Jeremias Drexelius questionem movet, uter ex duobus progenitoribus magis arduum opus præstiterit, et se ipsum generosius vicerit? Abraham, qui non peperit filio, an vero David, qui peperit Sauli, capitali inimico. In eam rem Rupertus : Doct ratio, inquit, non multo minoris fuisse meriti propter Deum peperisse inimico, quam non peperisse unigenito filio. Certum videtur minus esse miraculi, Abrahamum Dei jussu voluisse sevire in filium, quam Davidem sancto affectu sevire noluisse in Saullem hostem. Uterque hoc tali facto promeritus est Christo jungi cognatione, et David quidem propinquitus. DREXELIUS de *Christo resurg.* c. I, § 2.

MISCELLANEA.

Hæc inimicorum dilectio pulchre fuit prædicta a Propheta Zacharia : In die illa proteget Dominus habitatores Jerusalem (id est, Ecclesie Catholice) et erit, qui ostendebat ex eis in die illa quasi David, et sicut Angelus Domini in conspectu ejus (id est, sic diligere inimicos, sicut David, qui Saullem hostem suum infensissimum bis occidere poterat, nec tamen occidit; nec de morte ejus postea lætatus est, sed potius dixit. Numquid superest aliquis de domo Saul, ut faciam in illo misericordiam Dei)? ZACH. XII, v. 2.

Idem prædixit sequentibus verbis : In die illa erunt lebetes in domo Domini (id est, in Ecclesia) quasi phialæ coram altari, id est, corda odio accensa convertentur, ut non nisi purissimus charitatis ac benevolentie liquor, ac misericordie oleum illa repleat, sicutque veluti lampades olei semper lucentis in conspectu Dei. ZACH. XIV, 10.

Etiam Isaias id prædixit : Habitat lupus cum agno, pardus cum hædo acubabit; vitulus, et leo, et ovis simul morabuntur, et puer parvulus minabit eos. Vitulus et ursus pascentur; simul requiescent catuli eorum, et leo, quasi bos, comedet paleas. Et delectabitur infans (id est, homines simplices) ab ubere super foramine aspidis, et in caverna reguli, qui ablaetatus fuerit, manum suam mittet. ISAIÆ XI, 6.

Ab inimicitia merito absterreat, quod Deus plerumque lege talionis etiam in hac

vita permittat fieri nobis, quod aliis fecimus. Sic Adonibesech, dum summitates manuum ac pedum ei ab Israelitis abscederentur, dixit : Et Septuaginta Reges amputatis manuum ac pedum summitatibus sub mensa mea ciborum reliquias colligebant; sicut feci, ita reddidit mihi Deus. JUDIC. XI, 7.

Herodias, quæ S. Joannis Baptistæ caput petiit ab Herode, in poenam, dum fluvium glacie constrictum transiit, glacie rupta ita subsidit, ut caput a corpore rosearetur. NICEPH. I. I, c. XX *Hist. Eccl.*

Pemenes senex Solitarius a bestiis devoratus est, quia dum in sæculo oves pasceret, transeuntem peregrinum a canibus discerpi passus est. Latro, qui monasticam vitam occiso puero amplexus fuerat, ubique sibi visus est puerum illum videre, et dicentem audire : Cur me occidisti? Quare ultro se Judicibus sistit, et capite plexus est. *Pratum Sp.* c. CLXIV.

Eutropius, Arcadii Imperatoris cubicularius, auctor legis fuit, ne quisquam Regiam confugeret alicujus criminis convictus, sed ut inde etiam extraheretur. Verum ipse, paulo post offensus Imperatore, ad Ecclesiam confugiens, extractus et occisus est. NICEPH. I. XIII, c. IV.

Thirasyllus, Busyridi tyranno suadens, ut ad pluviam a celo impetrandam, hospite immolato Deos placaret, statim primus immolatus est. STAPLET. in *Dom.* 4. post Pent. §. 1.

Thomas Cronwellus Henrico Octavo auctor fuit, ut legem ferret, ne quisquam Regie Majestatis læsæ reus ad colloquium Regis admitteretur, nisi causa illius prius in senatu regi cognita; primus autem hujus legis rigorem sensit, omnique aditu ad Regem, cui carissimus erat, interdicto, capitulum sententiam accepit. *Ibid.*

Augustæ, dum duo Religiosi ostium mendicabant, homo improbus pro cleemosyna restim porrexit, quem illi reverenti osculo acceperunt, et gratias egerunt, assentes, eum pro edificio suo sibi commodum fore. Talis restis sunt omnium inimicorum machinæ, quidni ergo dicamus, pro edificio nostro celesti commodas fore? DREXEL. in *Phaetont.*

Pulchre Seneca : Quid juvat tanquam in æternam genitas iras indicere, et brevissimam ætatem dissipare? Quid juvat, dies, quos honestissimis studiis impendere licet, in dolorem alicujus tormentumque trans-

ferre? Mors propius accedit, ac propius. Istud tempus, quod aliena destinata morti fortasse circa tuam est. Quin potius vitam brevem colligis, placidamque tibi, et cæteris præstas? Quin potius amabilem te, dum vivis, omnibus exhibes; desiderabilem, cum excesseris, reddes? SENECA. I. III de *Ira*, c. ult.

Princeps quidam pro symbolo habuit struthiocamelum cum hæc inscriptione : Durissima coquit Spiritus. Hoc symbolum omnibus Christianis affigi deberet. DREXEL. in *Rosis* p. II, c. v. §. 7.

Lacydes, Argivorum Rex, cum Prometheus Thessalum cogitasset occidere, casu tuber ejus percussit, ac dissecuit, atque adeo rupto ulcere præter voluntatem servavit inimicum. Simili modo fit non raro, ut convitium alicui impactum medeatur animæ morbo. PLUTARCH. I. de *Util.* cap. ex *inim.*

Experta id est S. Monica, quæ, quia meribibula per convitium ab ancilla appellata est, cum stimulo percussa respexit fœditatem suam, clamque confestim damnavit, et exiit. S. AUG. I. IX *Conf.* c. VIII.

Cuidam monacho moribundo, cui phlebotomus tribus vicibus venam aperire non poterat, noctu vesperilio pedem e lecto protensam mordens venam rapit, sanguinem exugens, qui, cum postea diutius manaret, monacho sanitatem reddidit. Talis vesperilio saepe est injuria illata. ULYSSES ALDROV. I. IX *Orguth.* c. 1.

Antisthene Philosophus dixit, ad tuendam salutem opus esse aut ingenus amicis, aut aeribus inimicis, propterea, quod illi, dum admonent peccantes, hi, dum maledicunt, revocant a vitis; sed quia ad libere monendum pene vocem amisit amicitia, superest, ut ab inimicis veritatem audiamus. PLUTARCH. IX. *supr.* VIII.

Quærit nonnemo, cur Deus serpentem æreum affigi voluerit in deserto, ut ex ejus aspectu sanarentur Israelite a serpentibus icti? Et respondet Didacus Nyssenus, hoc factum esse, ut significaretur Deus, quantum bonum esset inimicos suos benignis oculis aspicere.

Idem quærit, cur S. Stephanus statim, postquam inimicis suis ignovit, et pro illis oravit, obdormiverit in Domino? et respondet, hoc factum, quia tunc summum virtutis apicem attingerat. *Ibid.*

Tanti faciendæ est hæc virtus, ut hanc solam Pater æternus in homine sibi imitantem sumat. Ita indicat S. Gregorius Nysse-

nus, dum ait : Quæ de hoc animam meum subit cogitare, temerarium quidem est vel mente concipere; temerarium item vel oratione mentis conceptum patefacere, et aperire. Quomadmōdum Deus bene agentibus ad imitationem esse propositus; ita viceversa tuam affectionem ad bonum exemplo sibi esse vult, atque ordo quodammodo invertitur, ut audeamus dicere ad Deum: Quod ego feci, et fac; imitare servum tuum, tu Domine. S. GREG. NYSSEN. ser. v in *Dom. orat.*

S. Agnes quondam S. Brigittæ dixit : Nihil est pulchrius, aut acceptius Deo, quam lædentes se diligere, et pro persequentibus orare. L. IV *Rev. cap.* cxxiv.

S. Chrysostomus dicere ausus est : Ea res tibi pro Martyrio computabitur, si insidias molientem, et ad tantam provecum malevolentiam, inter benemeritos numeraris, non desinens orare pro illo, Deum obsecrando, ut fiat illi propitius. S. CHRYS. hom. III de *David et Saul.*

B. Baptistæ Veranæ Christus dixit : Roga me ex corde, ut ego ei, qui te afflixit, parcam, et, ut eum liberem a poena, quam meretur; sicut velles liberari oculum tuum, vel aliud membrum ab aliqua poena crudeli, quæ proximum tuum est oculum tuum, et membra tua. *Chron. S. Franc.* IV p. I. VII, c. xxiv.

In Olympico certamine, inquit S. Isidorus Pelusiota, qui cædit, ac superat, coronam obtinet; hic autem, qui cæditur, ac perfert, celebratur præconis voce. Illic, qui vicissim fecit, hic qui alteram quoque maxillam præbet, in Angelorum theatro prædicatur. Non enim ultione, sed patientia, victoria ponderatur. Nova hæc coronarum lex est, quoniam nova quoque certaminum ratio. S. IS. PELUS. I. II, cap. cxxix.

Pulchram rationem diligendi inimicos suggestit S. Augustinus dicens : Inimici homines, qualescumque fuerint, non sunt odio habendi, nec cum odit malus, cum patitur malum, sint duo mali. Diligat bonus, et quem patitur malum, ut vel unus sit malus. S. AUG. c. III in *Ps.* xxx.

Pusilli hominis est, inquit Seneca, et miseri, repetere mordentem, ut mures et formica, ad quas si manum admoveris, ora convertunt imbecilla, se lædi putant, si tangantur. SENECA. I. II de *Ira*, c. xxxiv.

Illud ante omnia cogita, inquit idem Seneca, fedam esse et execrabilem vim nocendi, et alienissimam homini, ejus bene-

facio etiam seiva mansuescunt. Aspice elephantorum iugo colla submissa, taurorum, pueris pariter ac feminis persultantibus, terga impune calcata, et repentes inter pocula sinusque innoxio lapsu dracones, intra domna ursum, leonumque ora placida tractantibus, adulantesque domino feras. Padebit cum animalibus permulasse mores. *Ib. c. LIV.*

Et paulo post : Quid si nocere velint manus pedibus, manibus oculi? Ut omnia membra inter se consentiant, quia singula servari totius interest; ita homines singulis parcent, quia ad cœlum geniti sumus. Salva autem societas nisi amore et custodia partium esse non potest. *Ibid.*

Sapienter S. Chrys. dixit : Cum nos ipsos ulciscimur, Deus nos non defendit; cum autem ipsi concedimus, plus, quam expectamus, efficitur. S. CHRYS. hom. LIII. ad Pop.

AXIOMATA.

Ingeniose quis dixit :

Nobile vincendi studium patientia vincit ;
Qui patitur si. Vis vincere, disco pati.
Cya. I. II. *apoph. 1.*

Romanis usitatum erat proverbium, ut Titus Livius in Historiis eorumdem refert : « Amicitias immortales, inimicitias mortales debere esse. » Ast vero, inquit, ex quo inimicitias mortales ab omnibus legibus naturalibus, divinis, politicis et Ecclesiasticis damnatae fuerint, quomodo subsistet proverbium asserens : « Inimicitias mortales debere esse? » Nimirum per hoc innuitur, inimicitias subito mori debere, et deficere, absque eo, quod repetantur, aut resuscitentur : Caesar capitaliorem non habebat inimicum ipso Pompeio, et tamen ad imperium assumptus suum erga ipsum affectum, quam maxime demonstravit, de quo proinde dicitur : « Caesar Pompeii status everti vetuit, suas stabilivit. » De Tito, in Annalibus Ecclesiasticis, scribitur, quod cum duo patritii Imperium affectasse convicti fuissent, ipse hoc rejiciens, aliud non fecit, quam quod eos monerit dicendo, quod principatus per destinationem dari soleant, ceterum ipsis promittebat, quod si aliud quidpiam desiderarent, eorum voluntati libenter obsecundaturus fuisset. *LIVIVS Dec. IV. l. XL.*

AUCTORES.

Hieremias Drexelius in *Zodiaco symb. 9.*
Robertus Bellarminus *De septem verbis Domini c. IV et V.*

Ludovicus de Ponte tom. III *de Perfect.*
Tract. I, c. VI.

Claudius Viexmontius *de Penit. p. III,*
c. I, II, III et IV.

Didacus Stella I. III *de Vanit. Mundi a*
c. IX.

Cornelius a Lapide *in cap. XII epist. ad*
Rom.

Joannes Cassianus collat. XVI, c. XXIV.
Panarium Joannis Busei. v. *Vindictio*
injuria.

Franciscus Arias tom II, tr. IV, *de Imit.*
Christi c. XLIV et seq.

Henricus Engelgrave *in Luce Evangelica*
tom. II, embl. 49.

Mathias Faber p. III, con. II, *in Dom. 21*
post Pent.

Thomas Stapletonus text. *in Dom. 2 post*
Pent. et text. v ac VII in Dom. 21.

DILECTIO PROXIMI.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est virtus, qua proximus diligitur propter Deum, seu ut clarius S. Dionys. ait, qua corda amantium inter se invicem uniantur, et quasi bitumine quodam animæ eorum ita conglutinantur, ut, cum sint multæ, in voluntatibus tamen una esse videantur. S. DION. *IV de Div. nomina.*

Si forte quis quaerat, quis sit proximus? (ait S. Aug.) Proximus est omnis homo. Omnes proximi sumus conditione terrene civitatis et mortalitatis, et etiam spe hereditatis, quia nescimus quis quid futurus sit, quoniam aut Judæus, aut Hæreticus, aut Paganus; forte enim per misericordiam Dei, et inter Sanctos primum locum habere merebitur. S. AUG. ser. LIX, *de Temp.*

REGULA. — Duplici regula nititur hæc dilectio. Prima data est a Deo : Diliges proximum tuum sicut te ipsum; quam Christus clarius explicavit dicens : Omnia, quæcum-

que vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis. *LEV. XIX, 18. MATT. VII, 12.*

Alteram tradidit idem Christus, apud S. Joannem, dicens : Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. *JOAN. XV, 12.*

ACTUS. — In genere duo sunt. Primus a Christo supra indicatus : Omnia quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis. Secundus a S. Tobia insinuat : Quod ab alio oderis fieri tibi, vide, ne tu alteri feceris. *Tob. IV, 16; MATT. VII, 2.*

De his S. Prosper sic loquitur : Hæc est proximi tota dilectio, ut bonum quod tibi conferri vis, velis et proximo; et malum quod tibi nolis accidere, nolis et proximo S. PROSP. I. III *de Vit. Cont. c. XV.*

In specie vero sequentes numerari possunt :

Afflicti erga omnes homines propter Deum.

Velle omnibus vera bona æterna, et temporalia, quatenus conducunt ad salutem æternam.

Hæc omnia procurare per media proportionata; e contrario vero damna studiosè avertere, aut ubi proximus jam incurrit, iterum reparare.

Jucundam et gratam cum proximo conversationem instituire, atque adeo sedulo cavere, quæ hanc impedire possunt, qualia sunt contemptus, suspiciones, temeraria iudicia, oblocutiones, detractationes, mordacitates etc.

Perfectam cum eodem concordiam tenere, idem volendo et nolendo, gaudente cum gaudente, flendo cum flente.

Multas pro ipso difficultates aut labores suscipere, immo ipsam etiam, si charitas exigit, vitam pro eo ponere. *LEO. DE PONTE, c. III, tr. I, c. v, § 1.*

EX S. SCRIPTURA.

NATURA. — Diliges proximum tuum tantum teipsum. *MARC. XIX, 12.*

Omnia quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis. *MATT. VII, 12.*
Quod ab alio oderis fieri tibi, vide, ne tu aliquando alteri facias. *Tob. IV, 6.*

Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem. In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. *JOAN. XIII, 24.*

Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantur, non quæ sua sunt, singuli considerantes, sed ea, quæ aliorum. *PHILIP. II, 2.*

Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quaerit, quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. *I CORINTH. XIII, 4.*

Majorem hæc dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis. *JOAN. XV, 3.*

Non videbis ovem fratris tui, aut bovem errantem, et præteribis, sed reduces fratri tuo. *DEUT. XXII, 1.*

Numquid non Pater unus omnium nostrum? Numquid non Deus unus creavit nos? Quare ergo despicit unusquisque nostrum fratrem suum? *MALACH. II, 10.*

Obsecro vos, ego vincetus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in charitate. *EPHES. IV, 1.*

NECESSITAS. — In hoc cognovimus charitatem Dei quoniam ille pro nobis animam suam posuit, et nos debemus pro fratribus animas ponere. *I JOAN. III, 6.*

Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi. *GAL. VI, 2.*

De charitate fraternitatis non necesse habemus vobis scribere, ipsi enim vos a Deo didicistis, ut diligatis invicem. *I THESS. IV, 9.*

Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, et fratrem suum odit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo diligere potest? Et hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligit et fratrem suum. *I JOAN. IV, 6.*

Nemini quidquam debeatis, nisi, ut invicem diligatis, qui enim diligit proximum, legem implevit. Plenitudo ergo legis est dilectio. *ROM. XIII, 8.*

Omnis enim lex in uno sermone impletur : Diliges proximum sicut te ipsum. *GAL. V, 14.*

Nos scimus, quod translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. *JOAN. III, 14.*

Carissimi, si sic Deus dilexit nos, et nos debemus alterutrum diligere. *JOAN. IV, 11.*